

Brandenburgicus, Iohannes Fridericus dux Saxoniae, Ernestus Brunsvicensis dux, Philippus Landgravius Hassiae, Franciscus dux Luneburgicus, Unolfgangus Princeps Anhaltinus, Norinberga, & Reutlinga, 25. Iunii, Imperatori Carolo, Regi Ferdinando, & toti Imperio Romano, suppliciter & reuerenter idem illud scriptum, ceu fidei & doctrinae suae confessionem apertam, & Verbo Dei munitam & manus suae subscriptione contestatam & assertam offerunt. Legit illam clara & graui voce D. Christianus Beier saxonicus, & cum inter legendum venisset ad haec verba: In Germania primum ante annos quadringentos, sacerdotes vi coacti sunt ad calibatam, cui quidem adeo aduersati sunt, ut Archiepiscopus Moguntinus publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re, pene ab iratis sacerdotibus per tumultum oppressus sit, &c. Ibi Ferdinandus Rex interrogat Moguntinum, num haec ita se habeant, cui Moguntinus, ita, inquit, ut lectum est. Perlecta autem Confessionis exempla duo, unum Latinum, alterum Germanicum, dum D. D. Pontanus, Vir & Iurisconsultus praestantissimus, Imperatoris secretario, Alexandro Schuueis, ut hic illa Moguntino tradat, exhibere vult, ipse Caesar manu sua apprehendit eadem, ad seque recipit, inquiens, cogitabo de his deinceps ipse diligentius: Pontanus vero animo magno ad Imperatorem & Principes ait: Deo & Domino nostro Iesu Christo
defensore